



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

43 Praelati correctionis causa, subditos per se, vel per alios verberare possunt sine excommunicatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XXXV.

Ex conf. 34. alias 7.

LAicus, fructus clerici debitoris sui apud laicum aliquos existentes sed ad clericum ratione sui beneficii pertinentes, per iudicem laicum sequestrari faciens, excommunicationem decimam septimam Bullæ Cœnæ non incurrit, cum Bulla hæc penalis sit, nec ad alium casum extendenda, c. pœnæ, de pœnit. præsertim cum hæc solum usurpantem, & sequestrantem fructus ecclesiasticos sine licentia Papæ, vel alterius ad quem pertinet, illam licentiam dare, excommunicet; excommunicatio autem contra facientem aliquid lata, nec procurantem, nec consulentem, nec mandantem fieri includit, nisi per alia iura id declaratur, & Na. in Man. c. 27. num. 51.

DECISIO XXXVI.

Ex conf. 35. alias 30.

EPiscopus nepoti centum aureos debens, quos sapius rogatus solvere noluit, si nepos nocte granarij eius adiens, & ex inde granum pro aureis debitis accipiens, ab eodem Episcopo denunciatur excommunicatus, & in Bullam Cœnæ Domini incidisse declaratur; Quamvis nepos sic auferendo granum, peccat, declaratio tamen, qua Episcopus Nepotem suum excommunicatum esse denunciat, sine citatione facta, iniusta est, & ipso iure nulla: ex Glof. cle. 1. de censib. Nec sic granum auferendo in excommunicationem decimam quartam præfatæ Bullæ incidit; eo quod granum illud, neque usurpando sibi vilam auctoritatem publicam ordinariam, vel delegatam, neque fructus, & redditus ecclesiasticos, sed solum tamquam creditor, accipit bona fide existimans licere sibi tantum de bonis sui debitoris capere, quantum sibi debetur, præsertim quia granum illud non tamquam res ecclesiasticas, sed tamquam res particulares sui debitoris, qui nullatenus ei solvere volebat, accipere intendit. ex Nau. in Man. c. 27. n. 26.

DECISIO XXXVII.

Ex conf. 36. alias 33.

Promittens, & promissionem acceptans pro gratia temporaria a Papa obtinenda excoicatur. Extrauag. 1. de sent. excô. Greg. xij. Extr. Ab ipso edit. 1574. conf. 27.

DECISIO XXVIII.

Ex conf. 37. alias 31.

Cardinales, vel Episcopos præeuntes, & fugientes in domos suas, vel in partes tutores eius hostiliter insequentes animo eis iniuriam inferendi, excommunicationem Bullæ cœnæ incurrunt; secus tamen qui domos eorum adeunt, postquam illi iam non fugerant, an se in domos eorum adeunt, postquam illi iam non fugerant, aut se in domos suas receperant, & in eis manent; sicut nec qui vadunt ad domos illorum, ad insultum aliquem palatii eorum dandum excommunicationem incurrere censentur, vt ait Nau. in Man. c. 26. num. 67. & 97.

DECISIO XXXIX.

Ex conf. 38. alias 29.

Episcopum, vel clericum, quemcumque tangens, aut retrahens absque intentione mala, vt futurum aliquod scandalum, aut peccatum ab eo committendum impediat excommunicationem non incurrit: Cum talis retractio, & apprehensio non peccatum sed meritum sit, excommunicatio autem sine peccato mortali, aut dolo non incurritur. ex Nau. in Man. c. 78. num. 87. & 89.

DECISIO XL.

Ex conf. 39. alias 43.

Clericum aliter quam pro defensione propria, vel proximi cum moderamine inculpatae tutelæ percussit, excommunicationem incurrit, & si percussio enormis sit, Papæ referatur; c. si quis suadente, 17. q. 4. & Nau. in Man. c. 27. num. 90. sin vero leuis fuerit, ab Episcopo absolueri poterit.

DECISIO XLII.

Ex conf. 40. alias 25.

Monachus coram magna parte conuentus, manus in alium religiosum inferens, eum a pectore excipiens, vel a sede expellens, vel brachio violentè extrahens, mortaliter peccat, & excommunicatus publicus censendus est, & ab alijs sine alia Iudicis declaratione vitari debet; cum talis notorius clericus percussor censetur. vt habetur per Extrau. Adr. ad epistola Mart. V.

DECISIO XLIII.

Ex conf. 41. alias 25.

Clericum casu cum vxore inuentum, & ex continentia occidens, excommunicationem non incurrit, secus autem qui postea, & remisso dolore, aut ex præcedenti marito iudicio, & deliberatione, id facit, c. si vero de sent. excô. Angel. ver. excomm. 1. §. 19.

DECISIO XLIII.

Ex conf. 24. alias 28.

Prælatus causa iustæ correctionis subditos suos religiosos per se, vel per alium verberare potest, dummodo verberans Monachus, vel clericus sit; secus tamen si laicus fuerit, tunc enim per laicum verberans excommunicatur, c. vnuerfitatis. de sent. excomm.

DECISIO XLIV.

Ex conf. 7. alias 3.

Episcopus a cassibus, & censuris, ante, & post Concilium Tridentinum, sel. 24. c. 6. de ref. Papæ referuatis in motibus proprijs, & specialiter in constitutione contra receptores Bannitorum promulgata Anno 1590. & alijs constitutionibus editis, in foro conscientie absolueri potest, præterquam in casibus cum clausula derogatoria referuatis, per quam sufficienter dicto Concilio derogatur.

DECISIO XLV.

Ex conf. 44. alias 27.

Apparitores, clericos arma nocte portantés capiendos non peccant, nec excommunicationem vllam incurrunt, c. si quis suadente, 17. q. 4. cum clericus noctu cum armis incedens ad delinquendum ire iuste præsumi possit, ex Panor. in cap. vt fama de sent. excomm. quod iuste apparitores illi impedire possunt, nec illis in tali euentu metum inulte, sed iustissime inferunt, eosque ad suos iudices iuste ducere possunt: Huiusmodi enim metus violentiam aliquam non inducit, quæ tamen ad pœnam canonis incurrendam est necessaria.

DECISIO XLVI.

Ex conf. 45. alias 32.

Subdiaconum incarcerans, & tanquam testem, aut principalem examinans, vltra excommunicationem Canonis, c. si quis suadente, 17. q. 4. in excommunicationem etiam vdecimam, vel duodecimam Bullæ cœnæ incidit.

DECISIO XLVII.

Ex conf. 46. alias 54. de simonia.

Dantes, seu promittentes aliquid famulis, & ministris Papæ, vt pro gratia, seu beneficio, concedendo preces interponant, simoniam committunt, & excommunicationem, & alias iuris pœnas incurrunt; Extr. 1. de sent. excomm. & Extrau. Gregor. XIII. Ab ipso edit. anno 1574. constit. 28. Quamuis secus si illis aliquid debet, aut promittant, vt tantum causas eorum sollicitent, aut eos ad memoriam reducant.